

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pvblcae Felicitatis Fons Perennis

Vockerodt, Gottfried

[Gotha], Ipso Serenissimi Patris Patriae Natali, VIII. Avgvsti,
MDCCXVII.

VD18 13459503

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-197304](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-197304)



65. E. 12

65 E. 12

**PVBLICAE FELICITATIS
FONS
PERENNIS**

VT

IMPERANTIVM DOMVS

fit ad votum ciuium,
in eorum, qui parent, situm est ingeniis, moribus, studiis.
Est illius incolumitas horum salus;
sed neutra erit perpetua, nec longa,
nisi istud efficiatur officio religioso, & cultu legitimo.
Magnum propitii patriæ NVMINIS munus est

PRINCEPS BONVS, ET FELIX:

maius, & ad spem perpetuitatis exoptatissimum,
ex BONO nata copiosa proles DOMINICA:
maximum, & ad implendas spes publicas aptissimum,
formatus lege auita, & domestica SVCCESOR,
illisque artibus conformatus,
quibus retinetur in PRINCIPALI DOMO incolumitas,
& salus propagatur ad populum futurum.
Talia ergo patriæ pretia, & diuinæ clementiæ munera
piis magis supplicationibus prosequenda sunt,
quam gratulationibus ambitiosis:
rogandaque eorum perpetuitas potius precibus curatis,
& rectis studiis prouocanda,
quam exspectanda spe vana;
quam vertendus præfens vsus in materiam latitiæ profanæ,
plaususque effusi.

Non alia ratione metiri, par est, temporum nostrorum,
patriæque felicitatem,
si perennem hanc optamus:
illuc referenda sunt studia nostra.

Talis sensus versari debet in publico pietatis officio,
quo VI. IDVS AVGVSTI excipimus exoptatissimum.

NATALEM DOMINICVM.

Ita moderari conuenit publica gaudia,
quibus prosequimur faustissimorum temporum auspicia:

talis.

talis cultus. & plausus sit,
quo præsentis felicitatis autor honestatur,

videlicet

SERENISSIMVS PRINCEPS, AC DOMINVS,
FRIDERICVS,
DVX SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE,
ET MONTIVM,
NECNON ANGRIAE, ET WESTPHALIAE,
LANDGRAVIVS THVRING. MARCHIO MISNIE,
PRINCEPS COMES HENNEBERGAE,
COMES MARCAE, ET RAVENSBERGAE,
DYNASTA RAVENSTEINI, ET TONNAE,
DOMINVS NOSTER CLEMENTISSIMVS,

quintum annum climactericum feliciter supergressus,
ingressusque annum ætatis suæ xxxvi.

idque integra valetudine,

incolumi DOMO SERENISSIMA, copiosaue prole roborata,
sex nimirum IUVENTVTIS PRINCIPIBVS,
indole, & studiis,

si ex maiorum natu tyrociniis spem capere licet, florentissimis;
ipsaque heroum matre, CONIVGE SERENISSIMA,

MAGDALENA AVGVSTA,

ad dulce DOMVS SERENISSIMAE, patriæque decus,
& præsidium augendum, roborandumque amplius,
mirabili sæcunditate efflorescente:

patria in summis temporum asperitatibus intacta ab omni clade,
inter externorum, & intestinorum bellorum IMPERII ROMANI

turbas pacata,
 omnibusque opportunitatibus, quas pii ciues optare possant, cumulata,
 cumulandaque vberius:
 in apparatu rerum pulcherrimarum,
 & ad augendam publicam felicitatem pertinentium,
 inter destinationes, consilia, & instituta pia, & laudatissima,
 auitæ laudis æmula, similia nimirum studiis ERNESTINIS;
 versantia in condendis, augendis, ornandis
 pietatis, & ciuilibus disciplinæ officinis,
 in amplificanda euangelicæ veritatis doctrina,
 in adiuuando, & propagando diuini verbi vsu populari.
 Interpolant vltimorum temporum labem
 talia summorum PRINCIPVM studia,
 miserantisque res humanas corruptelis laborantes NVMINIS munere
 iniecta imperantibus illa mens est,
 vt religiosa esse velint suorum natalium solennia:
 vt facessere iubeant nugarum architectos a cultu dominico,
 & vacare officio genus hominum male sedulum,
 in popularia gaudia principum æraria exhaustientium,
 profundentiumque publica vectigalia, pluriumque mensium operas,
 & labores
 in paucarum horarum oblectamenta:
 ac vt potius cum sua natali luce noua lucis euangelicæ accessione
 patriam velint illustrari:
 vt delectentur duraturis virtutis, & laudis suæ monumentis,
 a natali die surgentibus
 nouis templis, pauperum domiciliis, scholis.
 Ita ad PRVSSICAE MAIESTATIS decus sempiternum
 nihil aptius,
 ad pietatis gloriam per orbem terrarum diffundendam
 nihil promptius,
 ad instituti Christiani exemplum propagandum ad posteros
 nihil expeditius,
 quam quod SERENISSIMI, ET POTENTISSIMI REGIS
 natalis nouissimus

tali

tali opere fuit occupatus religioso, & verè regio:
quod, sicut publice actarum rerum ephemeris vulgabat,
& REGI POTENTISSIMO, ET SERENISSIMAE REGINAE cordi fuit;
fundamenta ponere noui suæ cuique ecclesiæ domicilii.

Talis gloria
SERENISSIMO PATRIAE PATRI nostro domestica est;
auita ista est laus:
non ergo mirum est, appropinquantis diei natalis DOMINICI
talem esse apparatus;

idque dudum agitari, & feruere operas publicas,
vt possent hac luce religiosa cerimonia consecrari duo templa,
alterum in FRIDERICIANO PTOCHEO recens conditum,
alterum renouatum

in vicino Semanæ sylvæ saltu,
quo vetusta teguntur sepulchra
maiorum SERENISSIMAE stirpis DOMINICAE,

THVRINGIAE LANDGRAVIORVM.

Et sane
perfecta, & dedicata essent inter publica gaudia, & solennia natalia
ista pietatis domicilia,

nisi incerta spes vteri SERENISSIMAE PATRIAE MATRIS
differri suasset cerimoniam religiosam.

Neque ipsa voluit esse expers pii instituti,
pio SERENISSIMAE PRVSSICAE REGINAE exemplo,
& studio non dissimili,
idque ex quo propitia

DOMVI SERENISSIMAE FRIEDENSTEINIAE

DEL prouidentia
nouum illucescere sidus,
nouum intercedere iussisset natalem,
nouamque dedisset prolem DOMINICAM,
vt ERNESTINAE STIRPIS propago
inter ERNESTINAE pietatis instituta nasceretur,
ac sub horum religiosa celebritate prima vice produceretur in publicum.

Interim

SERENISSIMI PATRIS PATRIAE auspiciis,
cum luce EIVS natali auspicatissima,
militari soboli schola aperitur noua, nouisque datur magister:
non vltimum documentum crescentis PRINCIPIS FRIDERICO populi.
Ciuum enim numero a FRIDERICIANI PRINCIPATVS tempore
insigniter aucto

tantum ver sacrum solita scholarum atria, & subsellia
capere non amplius poterant,
quamuis satis spatiosa, & multitudinis capacia.
Florentis reipublicæ istud documentum est,

PRINCIPISQVE BONI, ET FELICIS

vt certissimum indicium, ita decus vnicum, & maximum.
Oppidanorum ædificiorum,

& rerum ad victum necessariorum pretia ostendunt,
quanta multitudo confugiat ad vmbra

CLEMENTIAE FRIDERICIANAE?

Propagata extra omnes portas domicilia,
occupataque non solum areæ omnes in oppido;
sed suburbanæ etiam arenariæ ædibus ornata
produnt hominum studia in PRINCIPEM FRIDERICVM,
& quantum sit certamen fruendi
crescente cum EIVS principatu *felicitate publica?*

Vtinam, qui hac frui volunt,

fontem eius perennem serio, & diligenter satis requirerent!

Monstrat eum natalis DOMINICI apparatus,
eorundem videlicet institutorum agitatio,
quibus vindicata, & restituta est hæc patria
a belli longi iniuriis, barbara recti ignorantia, & licentia moris deprauati.
Cui si consentanea fuerint ciuium studia:

si diuino verbo,

cui nouæ aperiendæ sunt officinæ,
bona fide paruerint:

si studium illius, non tam verbis iactatum, quam factis fuerit probatum;

per-

perpetua erit felicitas publica;
nec deerunt ex SERENISSIMA DOMO ERNESTINA,
ex PII ERNESTI posteris,
ex BONI, ET FELICIS PRINCIPIS NOSTRI
seris nepotibus,
qui eam propagaturi sunt ad ætates venientes.

Nec pigebit vnquam PATRIÆ PATREM, nec ciues,
solennium natalis DOMINICI ita celebratorum, exceptorumque.
Rata semper pro publica felicitate vota erunt,
& grata deo supplicatio.

Talis vt nobis contingat nuncupantibus vota in ILLUSTRI GYMNASIO
pro salute publica,
id est, pro SERENISSIMI PATRIS PATRIÆ vita, & incolumitate,
& hoc simul pietatis officio lustrationem finientibus,
optant publici magistri cum gregibus discipulorum.

Huius publicæ pietatis interpres esse voluit

HENRICVS CHRISTOPHORVS TAMM,
Gothanus,

CLASSIS SELECTAE supremi ordinis alumnus,
adolescens indolis non spernendæ,
vtpote cuius litterarum, & liberalium artium amorem
solennis discipulorum pestis,
æquorum non extinxit studium,
quamuis paternum:
qui & suo nomine pro summis beneficiis,
in se, suosque parentes
a SERENISSIMI PATRIS PATRIÆ clementia singulari profectis,
gratias se debere agnoscit,
& publice profiteri gestit.

Quem

Quem dicturum
de

*felicitatis patriæ incrementis sub PRINCIPE
PII ERNESTI æmulo,*

ut æquis audiant animis, quotquot publicæ felicitati fauent,
eiusque causa letantur,
conueniantque ad audiendum frequentes

IX. AVGVSTI, IN AVDITORIO CLASSIS I,
post publica sacra matutina,
ea, quæ par est, obseruantia rogat

ILLVSTRIS GYMNASII RECTOR,
GOTHOFREDVS VOCKERODT.

P. P. LITTERIS RETHERICANIS,
IPSO SERENISSIMI PATRIS PATRIÆ NATALI,
VIII. AVGVSTI, CID 1966 XII.



65 E 12

